

et ibi jam obtinetur quod sperabatur : cessabunt et alii virtutum habitus quia et illorum actus. Sola charitas non excidit, sed cum beatis manet, quia per eam utpote virtutem perfectissimam diligunt Deum semper. Præterea alio quoque sensu nunquam excidit charitas, quia hominem, quantum in ipsa est, nunquam deserit neque a Deo excidere sinit. Unde Cassianus, coll. III. c. VII. ait : *Charitas est quæ sectatorem suum nunquam sinit cadere supplantatione peccati* ; quamdiu videlicet is studebit charitati, nec per vim ejiciet illam. Liberrimum igitur ac latissimum est imperium charitatis, quam si retinueris, imperator eris perpetuus. Hinc D. August. in I. Joann. IV. tract. VII. ait : *Semel breve præceptum tibi præcipitur : Dilige et fac quod vis.*

VI. Necessitate. Huic enim mandato subscribere debent, quicumque Deo placere et celo inscribi volunt : *Qui non diligit, manet in morte*, inquit D. Joannes, epist. I. cap. III. Quare sicut genuinæ aquilæ proles ad solis intuitum examinantur ; ita filii Dei adoptivi in hoc probantur, si per affectum charitatis Deum irretortis oculis intuentur. Quod si creaturam aliquam plus diligant quam Deum, adulterinæ proles sunt, et proinde abjiciendæ e nido protectionis divinæ et salutis. Distinguit ergo charitas improbos a probis, hædos ab ovibus, milites Christi a militibus diaboli. Hæc illorum character est, hæc vexillum. Qui veste nuptiali caruit, et convivio abreptus et in tenebras exteriores projectus est, idem contingit illi, qui veste charitatis, quæ : *Operit peccatorum multitudinem*, destitutus fuerit. Alteruter ignis nobis necessarius est, aut ignis amoris, aut ignis inferni. Si non arserimus igne charitatis, ardebimus igne gehennæ. Qui charitatis igne præditus est, ad cælum evolabit, duabus illis alis, amore Dei et proximi. Qui igni illo caret, evehi non poterit, sed peccati pondere deprimetur ad infernum. Unde D. Bernardus, serm. II. de S. Michaele, ait : « Perire necesse est hominem qui charitatem non habet, etiamsi tradiderit corpus suum, ita ut ardeat : » et S. Aug. I. L. homiliarum, hom. L. *Sola charitas sufficit si adsit. Cætera omnia nihil prosunt, si sola charitas desit.* Jure igitur mandatum charitatis, mandatum magnum dicitur.

Neque etiam sufficit qualicumque modo Deum amare ; ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus amandus est, hoc est, super omnia, ut explicat auctor. op. imperfecti in Matth. hom. XLII. « Quid est, inquit, diligere Deum ex toto corde ? Id est, ut cor tuum non sit inclinatum ad ullius rei dilectionem amplius, quam ad Dei : nec delecteris in aliqua specie mundi amplius

quam in Deo : non in honoribus, non in auro vel argento, etc. Sed hæc omnia existimes tibi esse in Deo, ut præ his omnibus Deum ames. Sic ergo et omnis anima christiana, quæ sponsa est Christi, ita diligere debet Deum, ut nihil sit in mundo, quod amplius amet quam Deum, aut in tantum. Pro quanta autem parte plus amaverit, tanta parte minus amat Deum. » Possunt ergo et creaturæ amari, sed tamen infra Deum : si æque aut plus amentur, mortem animæ afferunt. Apposite rex Salomon sponsam, id est, animam Deo desponsatam palmæ comparavit, Cantic. VII. cum ait : *Statura tua assimilata est palmæ.* Etenim palma hoc habet præ aliis arboribus, quod infra, ad radicem stipes ejus tenuis et angustus, supra vero ad cacumen crassus sit et robustus ; infra angustatur supra dilatatur. Cæteræ arbores infra crassum habent stipitem, supra vero quo magis in altum assurgunt, eo magis tenuem. Anima igitur Deo desponsata debilem et exilem amorem gerit erga terram et creaturas : fortem vero ac magnum erga Deum. Contrarium videre est in mundi amatoribus. Audiamus D. Gregorium, I. XIX. mor. c. XXV. « Omnis arbor, inquit, suo robore juxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur, et quanto paulisper sublimior, tanto in altum subtilior redditur. Palma vero minor ab imis inchoat, et juxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit, et quæ tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Ita hujus sæculi dilectores in terrenis fortes sunt, in cœlestibus debiles : pro temporali lucro et gloria ad mortem desudare parati sunt : pro æterna gloria nec parum quidem in labore subsistunt, etc. At contra justorum vita per palmam significata, qui nequaquam in terrenis studiis sunt fortes, sed longe magis studiosos se exhibent Deo quam sæculo. » Arbor vulgaris erat initio Heli sacerdos, dum magis amavit filios suos quam Deum, dum delinquentes contra divinum honorem non correxit. Unde exprobrat ei Deus : *Magis honorasti filios tuos, quam me*, I. Reg. II. Verum correxit tandem errorem et palma factus est, amoremque Dei amoris filiorum prætulit ; quod inde colligit Cajetanus quod nec audita populi ruina in prælio, nec filiorum suorum morte commotus est ; sed audita arca Dei capta usque adeo consternatus ac commotus est, ut e sella rueret retrorsum et cervicem frangeret, I. Reg. IV. Ex quo colligit Dionysius Carthusianus haud dubie salvatum esse : *Videtur enim in eo affectus gratiæ et zelus Dei pro tunc prævaluisse affectioni naturæ amorique sobolis.* Abulensis appellat eum vere virum bonum atque laudabilem, desideriumque

ejus sanctissimum circa religionem. « Prælegisset enim vir iste, inquit, sibi mortem, etiamsi in ætate juvenili fuisset, quam arcam captam. Ideo nemini dubitandum est circa statum Heli : nam istud desiderium et zelus maximus religionis, qui cum charitate erat, eo quod propter Deum erat, liberare posset illum ab omni crimine, quia charitas operit multitudinem peccatorum. »

Nos ergo auditores, diligamus Deum ex toto corde et ex tota fortitudine ; ac si non possumus eum ita diligere, ut nihil præter ipsum amemus, saltem nihil æque aut plusquam ipsum amemus. Simus instar palmæ, non instar altarum arborum. Denique, si aliquando *magni* in cœlo esse et vocari velimus, sedulo observemus *magnum* hoc mandatum.

CONCIO II.

STIMULI AD DILIGENDUM DEUM.

- I. Quia Deus, seu omne bonum : 1. Omnis sapientia.
2. Omnis bonitas. 3. Omnis misericordia. 4. Omnis pulchritudo. — II. Quia Dominus, id est, summus benefactor, et amator noster : 1. Ob bona quæ dat.
2. Ob majestatem amantis. 3. Ob personam quam amavit. 4. Ob modum diligendi. 5. Ob finem propter quem dilexit. — III. Quia tuus, et similis.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum. Matth. XXII.

Exodi cap. XXX. præcepit Deus Moysi in monte Sinai, inter alia, ut quoties iniret numerum filiorum Israel, offerret unusquisque Deo in pretium pro anima sua medium siclum, continentem decem obolos : ut ita dives nihil addere ad dimidium sicli deberet, pauper nihil minuere. Quid sibi voluit tam religiosa sicli exactio, Deo offerendi ? Venerabilis Beda, I. III. de tabern. c. XIII. asserit hoc censu significari pensum charitatis quo electorum quivis redimere animam suam apud Deum debet, cum electorum numero accensendus est. Continet siclus medius decem obolos, ut dixi, et in præcepto charitatis continetur totus decalogus. Dimidius exigebatur, quia Dei dilectio, dum peregrinamur in hoc sæculo, imperfecta est in nobis, perficietur in cœlo. Non exigebatur plus a divite, nec minus accipiebatur a paupere, quia ab unoquoque, sive dives sit in virtutum profectu, sive pauper, charitas exigitur. Denique, census iste tam est exiguus, ut pendi a quovis possit. Si exegisset Deus scientiam, robur, nobilitatem, opes, conqueri potuissent rudes, infirmi, plebei, pauperes. Nunc autem tale pretium vitæ æternæ constituit, quod omnes

IV. PARS ÆSTIVALIS.

possunt solvere. Tam enim diligere Deum potest pastor, quam doctor, æger quam sanus, rusticus quam rex, pauperculus, quam dives. Nihilominus tamen multis res ardua nimis et difficilis videtur, Deum diligere. Quod inde utique provenit, quia non expendunt, quis sit Deus. Ergo ut amoris Dei stimulos addamus, perpendemus causas, quæ ad amorem istum incitant.

Tria sunt, quæ amare faciunt. Ipsa rei bonitas cognitione percepta, quia objectum amoris est bonum. Deinde, amor reciprocus, cum quis ab alio se amari videt ; amor enim amorem incendit, uti ignis ignem. Unde Seneca, epist. IX. *Si vis amare, ama*, inquit. Denique, convenientia et similitudo aliqua inter amantem et objectum amoris. Sic enim Eccl. XIII. dicitur : *Omne animal diligit sibi simile* ; nisi forte per accidens alter alteri impedimento sit, ut cum figulus figulum odit. Omnia hæc in Deo sunt et triplici ore clamant, ut ipsum diligamus, eaque non obscure notantur in hoc ipso præcepto : *Diliges Dominum Deum tuum.* Ratione enim primi diligendus est, quia Deus : ratione enim secundi diligendus, quia Dominus : ratione tertii, diligendus, quia tuus.

I. Quia Deus, id est, omne bonum ; qui omnia bona omnesque rerum omnium perfectiones in se continet, vel formaliter, uti absolutas : vel eminenter, ut mixtas, quæ cum perfectione aliqua conjunctæ sunt. Hinc ad Moysen cupientem videre Deum, dixit Deus : *Ego ostendam omne bonum tibi*, Exod. XXXIII. Et eccl. XLIII. dicitur in textu Græco *omne* : *Consummatio sermonum*, inquit, *ipse est omne*, quasi dicat : Hæc summa verborum, seu ut uno verbo dicam. Ipse est omnia, ob eandem causam et a veteribus philosophis Deus vocatus est *Pan*, id est, universum, teste Eububino, I. III. perennis phil. c. VIII. Ergo in Deo est omnis et infinita sapientia, bonitas, justitia, misericordia, pulchritudo, opulentia, majestas, gloria, et quidquid demum boni excogitari potest. Unde vocatur a S. Gregorio Nazianzeno, orat. in natalitia : *Infinitum quoddam et interminatum essentiæ pelagus* : et in quodam carmine ait : *In te omnia permanent, ad te conferuntur festinant omnia.* Quemadmodum ergo in oceanum omnia orbis flumina maximo amoris conatu tendunt, quia, ut Salomon ait Eccles. I. inde etiam *exeunt*, ita etiam nos maximo amoris conatu tendere debemus in honorum omnium oceanum, Deum ; præsertim quia etiam ab eo exivimus, uti flumina a mari.

Ergo si in homine amamus sapientiam, quanto magis in Deo ? Quanta is sapientia condidit hunc orbem ? Quanta eum gubernat ? Quæ sapientia in cœlorum motibus et astris ? Quæ in

hominum structura, vultum et ingeniorum diversitate? Quæ in animalium, planetarum, lapidum, metallorum speciebus? Quanta in singulis colorum, vocum, figurarum virtutum varietas? Et hæc ipse omnia momento excogitavit et creavit.

Si amamus bonitatem, quanta illa in Deo? Elucet ea primo, in rerum procreatione et conservatione. Cum enim solus sibi sufficeret nec ulla re alia indigeret, voluit effundere suam bonitatem in res alias creando, conservando eas, suæque bonitatis et potentiae divitias illis communicare. Ad hæc cum tanta sit creaturarum multitudo, nullius obliviscitur, ad singulas attendit, dans eis necessaria, ita ut nec passer in terram cadat sine ejus voluntate. Imo singulis quibusque etiam vilissimis suos assignavit modos felicitatis et voluptatis. Sic videmus ludere in aquis et colludere delphinos aliosque pisces, necnon aves quasdam: videmus saltare et arietare in campis agnos; colludere feles cum catellis; oblectari cantu suo philomelas aliasque volucres, quasi eo cantu publice testentur suas delicias et felicitatem; alias, ut hirundines supervolitare aquis; alias delectari sua venatione, etc. Nimirum sicuti Deus non tantum habet esse, sed et beatum esse: ita voluit creaturis non tantum dare esse sed pro ipsarum captu, felix et jucundum esse. Quanta est hæc bonitas in tantæ majestatis Domino? Certe nemo nostrum putat, sua interesse, an musca vel formica habeat vitæ necessaria, tristis sit vel læta. Attamen Deo de hoc cura est. Et quis inde non perspicat, quanto sit profusior Dei bonitas in homines, in quorum gratiam, usum, oblectationem, omnia alia fecit? Si magnum est, quod tam sit bonus et beneficus in creaturas, a quibus nullam expectat utilitatem: multo majus est, quod non cessat benefacere etiam hominibus a quibus quotidie offenditur, et blasphematur, uti gentilibus, Turcis, Judæis, hæreticis, etc. quorum terras et provincias ditat frugibus, pecoribus, aurifodinis, gemmis pretiosissimis. Quis ergo non amet eum, qui tam effusus est et bonus etiam in ingratos? Qui: *Solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super justos et injustos?* Et quis explicabit bonitatem, quam effundit super servos, et amicos suos? Vidimus hoc alibi: illud tantum dico: Si famuli amant herum, quem vident erga se propensissimum, humanissimum, liberalissimum, quomodo non amamus Deum, qui talem se semper exhibuit erga servos suos? Legite sanctorum vitas, et videbitis quod dico, quanta scilicet gratiarum, beneficiorum, favorum, blanditiarum genera exhibuerit

illis Deus, quibus eos ornabat, recreabat, exaltabat.

Si amamus misericordiam, quanta illa in Deo? Imprimis erga pauperes. Quoties in lege commendat eos divitibus? Quo verborum pondere? Quanta præmii spe? Quantis minis et suppliciis? Nonne de ipsis dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis?* Nonne misericordibus promittit regnum cælorum? Nonne duris minatur gehennam? Ad hæc quanta sollicitudine præcepit, ut in messe et vindemia relinquerentur spicæ et uvæ, quæ fugiunt manus metentium et vindemiantium et quidem in usum pauperum? Levit. XIX. Quanta severitate præcepit ne lædantur viduæ et pupilli? Mercenarii ne defraudentur, sed ut merces laborum eis reddatur ante solis occasum? Legite librum Deut. capite XXIV. et XV. ubi multo verborum pondere vetat fraude circumveniri pauperes. Hinc etiam appellari voluit *pater orphanorum et judex viduarum*, Psalm. XCVII. Et quid mirum Deum misereri pauperum, qui etiam jumentorum commiseratione tangitur? Sic enim legitur Jonæ. IV. *Ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dextram et sinistram suam, et jumenta multa?* Quinetiam in peccatores ingratos et indignos adeo est misericors, et diutissime illos toleret, cum patientia expectet, fugientes ad se retrahat, oppugnantes se ad pacem invitet, respicientes misericorditer suscipiat, reis culpas donet, suumque adeo meritorem thesaurum. Indignatum legitur Jonam, quod Deus pepercisset impiæ civitati Ninive, postquam respiciens egit penitentiam: et si per ipsum stetisset, utique in omnes Ninivitas sententiam mortis tulisset: sed non ita Deus, qui pepercit illis, quamprimum per penitentiam ad cor redierunt. Tanta est hæc misericordia, ut quidam sanctus ei dicat: *Neminem contemnis, neminem repellis, neminem desieris, nisi quis prior desiderat te*, apud Granat. in adjuncto I. memorialis, f. CC.

Si amamus pulchritudinem, quid pulchrius esse Deo potest: *Cujus pulchritudinem sol et luna mirantur*, quæque in infinitum magis excedit omnium creaturarum pulchritudinem, quam vel solis jubar excedit lucem stellarum cæterarum, vel supremus angelus infimum? Quemadmodum enim superior chorus angelorum, continet perfectiones inferiorum ordinum et præterea alias sibi proprias, longe præstantiores; et similiter in Ecclesia dignitas pontificalis continet inferiores, et aliam sibi peculiarem: ita Deus continet pulchritudinem rerum omnium, creaturarum,

visibilem et invisibilem, et præterea infinitas alias in infinitum præstantiores, sibi proprias. Sic mare habet abyssum aquarum sibi propriarum, præter eas, quæ in id influunt vel effluunt ex eo. Jam si omnem totius universi pulchritudinem in unum congestam cernere liceret, qualis putas foret ille aspectus? Quæ delicia? Qui paradisus? Denique, pulchritudo Dei tanta est, ut ejus solius contemplatio beatos faciat omnes cæli cives eorumque appetitum et capacitatis sinum, alioquin infinitum, satiet et repleat; imo beatum faciat ipsum Deum, qui non aliunde suam habet beatitudinem, quam ex suæ pulchritudinis contemplatione, uti agnovit vel ipse Aristoteles. Cum enim summum illud bonum, dicebat, non dormiat sed in aliqua operatione necessario se exerceat, eaque præstantissima, qualis est contemplatio: non possit autem beatitudinem suam habere in contemplatione rei extra se positæ (hæc enim nobilior ipso foret ac proinde Deus, non ipse) sequitur eam habere in contemplatione sui ipsius. Jam ergo quid est omnis mundi pulchritudo, cum divina comparata, nisi guttula quædam maris cum oceano collata? Imo non est tanti, quia inter creatam et incretam pulchritudinem infinita est distantia. Hinc fit ut extra Deum nullam pulchritudinem aliamve perfectionem possimus invenire, quæ appetitum nostrum satiet. Omnes creaturæ repellunt nos a se, cum ab ipsis quærimus satiare voluntatem nostram, et mittunt nos ad Deum, velut omnium bonorum oceanum: eo fere modo quo pauper aliquis mendicantes a se ablegat ad divitem vel principem, dato uno obolo vel exiguo panis frustulo. Videntur enim dicere: *Quid tu a me, requiris quod satiet famem tuam? Non sum ego bonum illud tam dives, quod tu quæris et sitis, quodque te replere queat, mica tantum est et guttula, quod tibi dare possum. Abi ad Deum tuum. Et tamen, o nos miseros! Micas et guttulas delectationum a creaturis emedicamus et pro iis acquirendis sudamus et algemus, iisque toto affectu copulamur, Deum vero relinquimus. Annon audimus eum dicentem ad Abraham, Gen. XVII. *Ego Deus omnipotens ambula coram me?* Hebr. habetur: *Ego Deus saddai*, id est, *sufficiens*. Hoc est Dei nomen nulla creatura est *saddai*: quia nulla nobis sufficit: ergo coram Deo ambulemus, qui solus est noster *saddai*: ita Sanctus Ignatius Loiola: *Domine quid volo, aut quid velim extra te? Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum*: et S. Ludovicus: *Omnis copia quæ Deus meus non est, mihi inopia est*.*

II. Quia Dominus est, id est, summus benefactor et amator tuus. Amoris autem divini magni-

tudo erga hominem ex quinque potissimum capitibus elucet. Primum, est multiplex bonum quod ei communicavit. Primo enim, creavit eum e nihilo ad imaginem et similitudinem suam. Quomodo autem non amet ipse creaturam suam, quam fecit tam nobilem? Nos certe arborem manu nostra plantatam longe magis amamus, quam alias extraneas. Igitur et Deus diligit opus suum, præsertim tam præclarum. Secundo, universam mundi machinam propter hominem creavit. Non enim creavit sibi, quia solus sibi sufficit, et nullo alio opus habet et sine mundo æque beatus est, et magnus; atque est cum illo: non creavit angelis, quia cum sint spiritus puri, corporali hac rerum machina non egent. Multo minus bestiis quia cum creatorem ac proinde tantum beneficium nequeantagnoscere, non possent illi gratias agere, neque etiam dignæ sunt tam artificiosa, mira et grandi fabrica. Creavit ergo homini tam præclaram domum, tum ad honorandum hominem, tum ut in ea homo veluti in libro posset legere et intelligere, quantus sit ejus Deus. Atque ut ea omnia, quæ in gratiam hominis fecerat, homini essent utilia et convenientia, postquam ea creavit, ad examen revocavit: *Vidit enim lucem, quod esset bona*, ait s. textus: et denique: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat et erant valde bona*. Nimirum voluit Deus ut hæc omnia essent homini utilia et proportionata, v. g. lux, ne esset nimis intensa, vel remissa, etc. eo fere modo, quo sartor adaptat alicui vestem et confert ad illius corpus, ut sit illi congrua. Neque tantum ad necessitatem et utilitatem hominis domum hanc tam amplum et magnificentiam aptavit, verum etiam ad delicias et oblectationem ejus. Hinc tanta colorum varietas ad oblectandum visum; tanta vocum et organorum ad oblectandum auditum; tanta odorum, florum, et rosarum ab oblectandum odoratum; tanta saporum, ciborum, liquorum et condimentorum ad recreandum gustum. Quis non videt domum hanc tam ornatam, magnificentiam et instructam omnis generis deliciis ab amore profectam et ab amantissimo patre dilectissimo filio præparatam? Tertio, dedit ei corpus et animam, sensibus et membris integris, quorum vel unicum non commutaret homo cum aureis montibus. Quarto, dedit ei præsidium angelicam custodiam; fecit eos (licet homine longe sint nobiliores) hominis pædagogos, custodes et directores. Quinto, creavit et præparavit illi cælum et bona quæ in eo sunt, communicaturus ei regnum suum et æternam beatitudinem. Et cum per peccatum hæc omnia meretur homo perdere, addidit multo majora. Dedit enim ei Filium

suum, ut pro illo satisfaceret, et ad viam cœli gradiendam verbo et exemplo illum provocaret: dedit ei pretium et pignus beatitudinis, gratiam suam, imo seipsum ei inhabitantem; unde S. August. in I. Joan. IV. ait: *Ama eum, qui in te cepit habitare*: dedit ei sacramenta, quibus gratiam augere et perditam recuperare queat. Jam si tanta accepit homo a Deo, quomodo amantem non redamat? At non videmus bestias etiam feroces, ursos et leones amare eos, a quibus aluntur et foventur? At non ad eorum pedes se abjiciunt, cum eis saltant, ad luctam cum eis descendunt?

Secundum, caput est majestas amantis. Non enim est rex terrenus sed cœlestis, æternus, infinitus et immensus. Et si in aulis principum plerique tot laboribus favorem principis venantur quia inde vel honorem vel emolumentum sperant, quanti censeri debet favor et gratia Dei.

Tertium, personæ, quæ amatur, utilitas, ingratitudo et perversitas. Est enim homo inter creaturas rationales infima, brutorum socia, errorum tenebris oppleta, peccatorum maculis fœdata: et tamen multis amoris argumentis, ipsis angelis præposita.

Quartum, modus diligendi paternus. Primo enim, vult a nobis vocari pater, et in filios nos adoptat: secundo, demittit se ad infima nostra, et ubi major est miseria, magis opitulatur: tertio, prævenit sæpe egentes, antequam rogetur, gratis prævenientibus: quarto, plus dat sæpe quam petatur: quinto, dat etiam malis et ingratis.

Quintum, finis dilectionis. Non enim sui commodi causa, sicut principes mundi, diligit hominem, sed ob commodum hominis: deinde, semper diligit; dilexit ab æterno, Jer. XXXI. *In charitate perpetua dilexi te*: denique, nullo momento cessat hominem diligere, quia nunquam cessat ei benefacere. Ergo æquum etiam est, ut homo quoque nunquam desinat eum diligere. Parum enim peteret, qui diligi a te peteret, quamdiu tibi benefacit. Rursum si diligit nos gratis; æquum etiam est ut sic diligamus Deum, licet nullam daret mercedem: si diligit nos liberaliter profundendo in nos bona sua, diligamus eum similiter fortiter et ex toto corde.

III. Quia tuus est, per similitudinem videlicet et relationem, quanta esse potest inter creatorem et creaturam. Nam primo, tuus est o homo, quia tuum prototypum, et tu imago ejus; tum quia creatura intelligens, tum quia imperator orbis et quasi Deus quidam terrestris, ab eo factus es, tum quia ex vi hujus imaginis obtines

capacitatem quamdam infinitam quæ non nisi ab ipso Deo summo bono impleri potest. Unde dicere potes, Deum esse tuum ac deberi tibi: sicut hoc vas, v. g. requirit hoc operculum, pro hoc vase factum; alteri non quadrat. Et sicut sigillum impressum, nulli alteri sigillo quadrat, nisi ei, a quo expressum est; ita imaginis divinæ capacitas in homine, a solo Deo repleri potest. Denique, quia filius Dei adoptivus, gratia velut imagine ejus altera et supernaturali insignitus.

Secundo, quia tuus conservator, a quo intime dependes. Quemadmodum enim rami a radice et trunco pendent, ut sine ipso vegetari nequeant, et iris expressa in nube a sole: ita vita tua a Deo pendet; ut non immerito dicere possis, Deum esse vitam tuam. Quare sicut hedera, quia ex se consistere et surgere in altum nequit, arborem amplectitur tot quasi brachiis, quot fibris, et ita sursum emergit; ita et tu Deo tuo adhærere per amorem debes, ut in altum beatitudinis supernæ scandas; quod sine eo nunquam efficies.

Tertio, quia tua merces et finis ultimus, in quem naturali inclinatione tendis. Quod enim Abrahamæ dixit Deus, Gen. XV. *Ego merces tua magna nimis*: hoc tibi dictum existima, ut scilicet aliam mercedem non requiras, quam Deum. Ergo uti magnes naturali impetu fertur ad septentrionem, nec prius conquiescit, donec illum contueatur: et sicut elementa maximo conatu ad centrum suum feruntur, et fortissima quæque obstacula perrumpunt, donec id attingant: ita amor ad finem suum ultimum ferri, imo rapi debet. Itaque mirandum est, si quis non diligit Deum, mundi amore impeditus. Ut enim mirum esset, si magnus aliquis lapis in aere pendulus teneretur a palea: ita mirum etiam est, si homo a Dei amore detineri se patiatur ab aliqua creatura.

CONCIO III.

INCITAMENTA AD DILIGENDUM CHRISTUM.

I. Quia summe amabilis: 1. Forma. 2. Loquela. 3. Virtutibus. — II. Quia summe dilexit nos: 1. Quia in gratiam nostri homo factus. 2. Quia noster doctor et magister factus. 3. Quia noster cibus in eucharistia, et ibi declinat ad nos. — III. Quia homo similis nobis.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum. Matth. XXII.

Vulgatum axioma est amorem descendere, non ascendere. Testatur experientia in parenti-

bus, a quibus amor vehemens descendit ad eorum liberos sed non pari vehementia a liberis ascendit ad parentes. Hinc parentes thesaurizant liberis, non liberi parentibus. Idem fateri debemus contingere Christo Domino, communi nostro parenti, cujus amor ad nos quidem descendit, sed non vicissim a nobis ad ipsum. Arsit nimium quantum Christus amore nostri: nos in redamando heu nimium frigemus. Magna ingratitude, magna et ignominia nostra. Sed quod huic malo remedium? Apud S. Luc. XII. ait Dominus: *Considerate corvos quibus non est cellarium neque horreum et Deus pascit illos.* Scribit Plin. I. X. c. XLIII. et Ælian. I. II. c. XLVIII. visum esse corvum, lapides congerentem in situlam, in qua aqua pluvia durabat, ut hac lapidum congerie aqua, quam alioquin rostro attingere non poterat, assurgeret potaturo. Imitemur nos hanc industriam et ut amor noster ascendat ad redemptorem nostrum, injiciamus in cor nostrum aliquos lapillos, quibus assurgamus ad redamandum illum, quandoquidem, ut dicebat S. Antonius, amori Christi nihil anteponendum est.

Dicimus alias tria esse quæ in nobis amorem excitant: objectum ipsum amabile, similitudo aliqua inter amantem et amandum, amor reciprocus. Omnia hæc uti in Deo, ita et in Christo sunt et urgent nos ad amandum ipsum, nec obscure insinuantur verbis illis: *Diliges Dominum tuum.* Est enim Deus; en objectum amoris: est Dominus; en amor reciprocus: est noster; en similitudo. Quare:

I. Diligendus Christus, quia summe est amabilis, non qua Deus tantum (quo respectu amandum esse super omnia, velut summam bonitatem, summam sapientiam, summam potentiam, summam clementiam, summam majestatem, alibi ostensum); sed qua homo etiam, nam ut sic etiam est quodammodo Deus corporeus, quia in ejus humanitate velut in speculo relucet divinitas et continetur plenitudo omnium gratiarum. Facit autem amabilem forma imprimis et decor, juxta proverbium quod celebrat Plato, in Lyside: *Quod pulchrum est, amicum est.* Exceluisse autem Christum formæ elegantia, dignitate oris et vultus, communis est theologorum sententia apud Pinedam, de rebus Salomonis, I. V. c. III. et indicatur Psal. XLIV. ubi dicitur: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Ob quam causam inter alias existimat S. Hieronymus ad Principiam, apostolos tam cito eum secutos esse. Et propterea etiam tanta contentione adhæsisse illi turbam existimat S. Chrysostomus, homil. XXVIII. in Matth. VIII. super id Marci V. et Luc.

IV. *Detinebant illum ne discederet ab eis: et: Quia omnes quæerunt te. Erant ei affixi, inquit, non pauci amantes admirantesque ipsum, videreque semper cupientes. Nam ut faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse, etc.* Et si cum adhuc mortalis esset, tanta oris venustate fuit, ut videntes ad sui amorem trahere posset quanta existimamus fuit in resurrectione, et erit nunc in gloria, ubi vultus sui decore sanctorum oculos beat?

Deinde, amabilem reddit gratia loquelæ seu eloquentia, quam etiam in Christo summam fuisse colligitur ex eodem psalmo cit. ubi dicitur: *Diffusa est gratia in labiis tuis*: et testatur Sanctus Lucas, cap. IV. dicens: *Mirabantur in verba gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. Procedebant, inquit, velut omnibus prudentiæ membris et numeris constantia, quemadmodum solemus dicere. Idem patet Joan. VII. ubi missi apparitores ut eum caperent et ligarent, capti sunt ab ipso, sermonis ejus virtute: dicebant enim pontificibus: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Petrus et discipuli ab ejus ore pendebant, ut discedere non possent: Domine quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes, aiunt Joan. VI. Hinc S. Birgitta, in suis revelationibus scribit Judæos in suis desolationibus ad Christum perrexisse, ut ab illo levamen caperent. Dicebant enim: *Eamus ad filium Mariæ, ut tantisper consolemur*: et S. Bernardus, serm. de omnibus sanctis: *Adhærebant ei, inquit, affatu pariter et aspectu illius delectati, cujus nimirum vox suavis et facies decora est, etc.**

Denique, amabilem faciunt virtutes: æque imprimis, quæ in conversationem hominum veniunt, uti affabilitas, humilitas, innocentia, clementia, misericordia, etc. At vero quid Christo erat affabilius et humilius, qui etiam parvulos ad se venientes amicissime accepit et complevans eos imponensque illis manus benedicebat eos? Marci X. qui leprosos etiam non alloqui modo, sed et tangere non dubitavit? Qui afflictos verbo erigere et suavissime consolari solebat, ut cum dixit paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, et viduæ filium lugenti: *Noli flere?* Qui discipulos suos compellere fratres et filios? Qui ad ægros et servos ire non dedignatus erat: *Ego veniam, et curabo eum?*

Quid ipso innocentius, qui peccare omnino nequivit? Qui non modo nemini nocuit, sed nocere etiam volentes discipulos suos corripuit? Mansuetudo ejus incredibilis fuit, juxta Isaïæ prædictionem, c. XLII. *Calamum quassatum non conteret et limum fumigans non extinguet.* Nam cum Pharisæi invidentes ejus miraculis consilium ini-